praesertim ab Interimistis, quorum commenta ex idolatrica fossilia eo sunt obscura. Sed illi decretis, ac fraude pars facta, habebimus causam iustissimam excutiendi iugi, nec poterunt postea nos accusare pertinaciae, facilitate nostra in rebus adiaphoris perspecta. Si demum volunt nos adigere ad manifestam idolatriam recipiendam, prodent ipsi sese, et causam nostram facient favorabiliorem, tum etiam Deus adversarios fraudulenter nobiscum agentes haud dubie evertet, ac nostra aequabilitate cognita, nobis Dux aderit et Victor contra inferorum portas. Nos igitur nobis insistentes Viribus reparabimus, omnem dissidij culpam in eos reijcientes, ac Deo iuvante liberam de rebus omnibus confessionem edemus.

Epilogus.

Habes Vir clarissime, praeceptor charissime deliberationes in utramque partem scriptam. Nunc tuum erit, pronunciare quid debeamus sequi. Nec decernere unum, quod in initio et fine declarationis memorio fit libri Augustani, ad quem principes nos vocarent, sed tuum iudicium expectandum esse [illegible]. Vale.

Christophorus Lasius pastor [illegible]ensis tui amantissimus.

Somnium M. Simonis Bockmeri prima die Maij habitum 1547.

Scala mihi visa est procedere e Divi Lutheri monumento, cuius summitas pertingebat ad verticem sui suggestus. Ipsum autem forma humana per eam conscendere vidi, qui cum illi praeclusus esset alioqui aditus in suggestum, qua parte applicata scala fuerat, aliunde in Cathedram concionaturus irruperat. Qui postquam nullum facere verbum posset (obligata siquidem eius videbatur facies) manib: tamen, digitis monstrando concionatorijs gestibus, mirum dictu, quantum hortando defatigabatur.

Cum autem absoluisset concionem, praeceps ex eo loco ilico delabatur. Gravissimus vero quamvis esset iste casus, tamen ipsi non attulit mortem, sed e vestigio terra surgens hilari gressu circumibat passim hortans omnes ad veram Evangelij confessionem, maxime vero doctores et populo ne defatigati molestijs crucis veram et salutarem doctrinam Evangelij abijcerent. Quicunque

autem Virum è plebe conuenisse cui Luthe[illegible]
ita ferri coniunctione inhaerebat, ut si baiulans eum
à se excutere vellet, id nullis posset viribus ac
conamine. Etsi id vehementer tentaret, coactus
est ipsum nolens volens quoquo versum iret secum
circumferre. Post exhortationem vero ad con-
stantiam, nihil aliud in ore habere visus est,
quam orationem dominicam, eam enim saepissime
repetebat, simulque ex altissimis cordis penetralibus
suspiriorumque vehementia ei insistebat, ut vix
à lachrymis sibi temperaret. His exordiis ge-
cessat docere et subito disparet ex omnium intu-
omnium conspectu. Haec summa est somnij
de Luthero.

Applicatio et interpretatio huius oraculi

Solent multi plurima è somnijs venari et
dicere, quae etsi fallant saepenumero, tamen
non perpetuo, neque in orbe hoc falsa reperiuntur.

Nam et Numero: lib. 12 cap: Deus ipse ait se
apparitum esse per somnium et indicaturum quae
sit sua interdum voluntas, Item Joelis 2. promit-
titur aperte etiam tempore Euangelij post missum Messi-
am senes habituros somnia et iuvenes visiones,
quae nisi aliquam interdum haberent significationem
certam, non essent sane ita ante multos annos
à Christi spiritu per Prophetas revelata, Extant
Josephi, Danielis multa somnia, eorumque interpretatio
et eventus, Neque abludit quoque humana ratio
ab hac opinione videlicet Deum aliquando futura prae-
dicere per somnia. Sic enim ait Homericus
Achilles, cum somniorum interpretem consultandum
suadet καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν: i. somnium
ex Jove est. Accedit huc quod haec mihi
diluculo diei dominicae visa sunt, quo tempore
Joannes suam ἀποκάλυψιν vidit cap: 1.
Proinde cum ipse quidem mihi non audeam hoc
divinum beneficium adscribere, ut Deus mecum
per somnium loquatur. Interim tamen haec

mea est opinio et interpretatio huius somnij, id quod me calamitosissimus huius nostri sæculi status docet et iubet.

I Principio scala in suggestum appodiata, significare dubio, iam demum pios doctores constanter gestire debere piissimi Lutheri vere diuinam doctrinam postquam videmus nihil non esse plenum tumultuum et infortunatissimorum casuum, cum per papisticam tam vaticam et Caesareanum furorem, omnia sursum ac deorsum misceantur, cum nullis sumptuosissimis laboribus ~~parcant~~ parcant, ne ut Euangelium de Iesu Christo filio dei, bona studia, omnem etiam ciuilem iustitiam et vitam prorsus pessundent, hic labor est, hoc opus est, ut retineamus in certo cursu fideles, qui alioqui facile ruere possent, iuxta illud Christi. Erit tale tempus, ut etiam electi seducantur si possibile sit, Matth. 24. in quod tempus vero verius nos hodie incidimus.

II Secundo, quod autem aditus conscendentibus per gradus in Cathedram praeclusus erat, puto designare, ut abiectis pijs doctoribus, omnibus vijs ad veram doctrinam praeclusis iam luporum et furum more falsos doctores, pseudoprophetas, in doctrinae officia esse irrepturos. Nam utinam falsus inueniar vates. Illud mihi suggerit animus fore, ut a Caesare renouentur omnes papisticae abominationes utrumque blatteram impij ipsum non male velle Euangelio, cum tamen eius nunquam ullum cepit gustum, et longe secus habeat eius fera Tyrannis.

III Tertio videbamus clingulis obductaque facie, ne inuictis dicamus per Tyrannidem potentum prohiberi pijs doctoribus ne omnino de hoc Christi Euangelio doceant, sicuti prohibiti sunt in actis Apostolicis, deinde obstrictum et obligatum os, non temere portendere arbitror, primo timidos doctores, qui futuri sunt muti canes, et ut inquit Esaias, ob priuatum commodum facile mancipio flexibiles.

Praeterea ex papatu indoctissimos pro[...], quibus ob
inscitiam ligata sunt ocia, ut possint, nisi [...]
somnia, et per sese excogitatas vanitates i[n] docend[o] [...]
expendere.

IIII Quod mox post concionem in praeceps datur, [...]
et vera, ut iam iam instet tempus illud periculosum
de quo Daniel 11 et 12 cap. ut postquam docti in popu-
lo multos instituerint in iustitia, cadant tamen
in gladio, igne, aqua, mortibus et incendiis [...]
ob verae doctrinae confessionem, affirmantur. Nam
sane pio dubium est, quin iam tot annos [...]
mora nulla per synceros predicatores Christianismus
sit instituta, explosis papisticis tenebris, reducta vera
et similis et fidei, cum iustitia, cum pietas,
Omnia autem verissime nunc eo destinata sunt, ut
tantum praecipites agantur boni et sancti doctores.
Hostium enim pernitiosus furor non aliud [...]

V Cuius magna videtur consolatio quod etsi [...]
atque divus Jacobus e templi pinna in [...]
impetu deturbatur, tamen hic casus [...] illi [...]

sed alacri animo surgit et facit adhuc apud pios
movendi ostium. Non absurde igitur significabit
Ecclesiam una cum multis in multis regionibus
candidis doctoribus mansuram, ut ut saeviant
impii grassatores, aliquos servabit Christus quamvis
maxima pars intereat, sicut videmus in belli congressibus,
etsi enim plurimi in acie cadunt, tamen fieri
non potest, quin vel reliquiae supersint. Hanc
consolationem in conspectu habere prodest, quo non
gravatim imminentem crucem feramus.

VI Sexto quod ita tenaciter multis inhaeret in populo
ut non possint enim, etsi id contrarium, excutere portentum,
dere indico plurimas fere hoc tempore persecutiones,
qui a semel recepta divini Lutheri doctrina
sunt defecturi. Nihil enim [...] inconstantius
unquam fuit vulgo, ut testantur infinita exempla
vetera et recentia apud Judaeos, Graecos et Roma-
nos, sicut et verissimum Phocylidis dictum ostendit:
Λαῷ μὴ πίστευε πολύτροπος δ' ἐστιν ὅμιλος.

periculo fidere noli, versatilis enim est turba.
Cum multi vel ob metum deterreantur, plurimi donis
promissionumque illectamentis seducuntur.
Habet siquidem Sathan in suis Organis serpentinas
machinas, quibus credentium animos feriat.
Est itaque adhuc et hodie ingens multitudo, quae sibi
nomen Christiani vendicat, quibus tamen prae
lautissimis et aeternis Evangelij Christi epulis
Aegyptiacae carnes arrident, qui omnibus votis
hoc unum expetunt, ut explosa hac de filio Dei
doctrina, denuo esse velitent in servitute papistica
[illegible]. Tales vero et similes, quamvis
deserverint, tamen stimulum latentem sentiunt [illegible]
qui non discedit ex ipsorum conscientia, quia perpe-
tuo convincit eos, se inique et pessime agere,
quod a veritate illa, quam Lutherus instinctu Dei
Christi primus in Germania propagavit, tam
turpiter defecerint. Erit autem non exigua
poena conscientiae talis accusatio.

VIII Septimo, quod ita ardenter Dominicam precatio-
nem recitat, nemo nescius est, quid per orationes
intelligendum sit, nimirum tantum hac ra-
tione placandum esse iratum patrem in his peri-
culosissimis temporibus, avertique belli huius
miserias, quod vere minatur exitium Germaniae.
Spoliavere id hostes Ecclesiae quantum volunt. Non
relinquitur iam amplius Evangelico coetui ullum
remedium ad sanandum hoc ingens belli ma-
lum. Nulla supersunt arma, quibus inimi-
cus feriri possit, et Ecclesia defendi, tantum
hoc Asylum orationis ut Josaphat dixit,
Cum ingens nostrorum hostium sit copia, et in
nobis non sint tantae vires, et cum nesciamus,
quid facto opus est, tantum hoc reliquum habe-
mus, ut oculos nostros in te dirigamus etc.
Hincque gladium arripiamus, et illo in hostes
feramur, non dubium est, quin pro nobis Christus
pugnaturus sit, si modo id ardentissimis votis fe-
cerimus, sicuti per somnium visus est fuisse Luther[illegible]

Non enim deludi vult deus. Illud etiam
non indignum observatu est, quod dominicam
precationem et nec aliud quippiam oravit,
Nimirum ut sciamus hanc solam esse Christo
gratam, quia ipse eam diligenti studio docuit
ac praecepit.
Haec sunt quae in hoc scrinium transfundere
per occasionem libuit, magis autem propter ea
quibus a me illud est expetitum. Cum
enim et tempus, animus, et ipsum scrinium
in hoc me raperent, non putavi indignum fore.
Ut et calamus officium faceret suum,
Christus Ecclesiam suam servet. Amen.

Anno 1547.

Venerando viro D. Magistro Ioanni
Aurifabro fratri suo in Dno charissimo.

6. Responsum quod in proximo conventu Wimariensi
Caesari dederunt principes ad me pervenit in feriis
Paschalibus ex Stagnali civitate, idem quod tu perscri-
bis, sed cum satis periculoso, ut quid aliud dicam,
appendice, quam tu taces, quo consilio haud scio.
Deus nostri misereatur, Utinam ingenue et
libere sine coditionibus et dolis confiteremur
Christum. Caesarem statim videbis, cum intelli-
get quam acerbum habuit.
Alterum Comitem Mansfeldensem
Quod scribis A. esse in armis, nihil est, hodie ve-
nit nuncius ab eo, qui attulit literas illius, sed
verbum nullum de armis, et nunquam dicit, cum
quieto esse animo, Scripsit et mihi ante biduum
nihil de armis.
Utinam brevi liberaretur princeps noster, sed
non video modum aut viam, filius Caesaris longe
dirior est patre, ubi tu virgis, ibi ipse scorpionibus